

*Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.*

Léctio libri Isaíæ prophétæ

52, 7-10

- <sup>7</sup> **Q**uam pulchri super montes  
pedes annuntiántis, prædicántis pacem,  
annuntiántis bonum, prædicántis salútem,  
dicéntis Sion: «Regnávit Deus tuus!».
- <sup>8</sup> Vox speculatórum tuórum:  
levavérunt vocem, simul exsultábunt,  
quia óculo ad óculum vidébunt,  
cum redíerit Dóminus ad Sion.
- <sup>9</sup> Gaudéte et exsultáte simul, desérta Ierúsalem,  
quia consolátus est Dóminus pópulum suum,  
redémit Ierúsalem.
- <sup>10</sup> Nudávit Dóminus bráchium sanctum suum  
in óculis ómnium géntium;  
et vidébunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

Verbum Dómini.